



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilivm Ravennate II. Pro Disciplina Et Moribvs Ecclesiae reformandis
celebratum anno MCCCXI. tempore Clementis papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

CONCILIVM RAVENNATE II. ANNO
CHRISTI
1511.
PRO DISCIPLINA ET MORIBVS ECCLESIE
reformandis celebratum anno MCCCXI. tempore Cle-
mentis papæ V.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De orationibus fundendis ad Deum pro cleri ordinatione vacantium ecclesiarum, & aliis diuinis officiis. | XVII. De monachis, ut omnes eiusdem ordinis in diuinis officiis sint conformes. |
| II. De exequiis episcoporum decedentium. | XVIII. Quod singuli comprouinciales episcopi semel in anno Synodum facere teneantur. |
| III. De anniuersariis episcoporum. | XIX. De clandestina desponsatione, & matrimonio contracto contra interdictum ecclesie. |
| IV. De anniuersariis patronorum & benefactorum ecclesiarum. | XX. De intrusis & electis per potestatem laicorum. |
| V. De reliquiis sanctorum, & earumdem ueneratione. | XXI. De contumacibus & rebelibus subditis contra debitam obedientiam prelatorum. |
| VI. De sacramentis ecclesiasticis. | XXII. De apostatis. |
| VII. De custodia eucharistie, chrismatismatis, & olei sancti. | XXIII. De Iudais. |
| VIII. De utensilibus, paramentis, & libris, & ceteris ornamentis ecclesiasticis. | XXIV. De excessibus prelatorum. |
| IX. De informatione ministrorum, & celebratione Missarum. | XXV. De rectoribus hospitalium. |
| X. De annuntiatione festorum, & celebratione ipsorum, & obseruatione ieiuniorum. | XXVI. De iniuriis & damno dato. |
| XI. De sacramento baptismi, & forma conferenda. | XXVII. De excessibus laicorum blasphemantium Deum, vel sanctos. |
| XII. De munditia ecclesiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta. | XXVIII. De pena illorum qui excommunicationem contemnunt. |
| XIII. De predicatoribus uerbi Dei. | XXIX. De pena adulterorum. |
| XIV. De statu regularium, & ipsorum reformatione. | XXX. De elemosynarum largitione. |
| XV. De penitentibus. | XXXI. De testamentis. |
| XVI. De beneficiis, & prabendis ecclesiasticis, & idoneitate & sufficientia ministrorum. | XXXII. De salariis & solutionibus scripturarum. |

ANNO
CHRISTI
1533.

CLEMENS P. V. RAVENNATE II. HENRICVS VII. IMP. 767

PRÆFATIO.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Constitutiones editæ in Concilio prouinciali, celebrato in ecclesia Rauennati, & conuocato per venerabilem patrem dominum Rainaldum, permissione diuina sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopum.

Ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, beati Apollinaris martyris, patroni sanctæ Rauennatis ecclesiæ, beatorum martyrum Vitalis & Vrsicini, & ceterorum, quorum reliquias & patrocina complectimur in ipsa metropoli ecclesia, & ad restaurationem ecclesiarum, & reformationem morum ecclesiasticarum, & secularium personarum, & pro salute animarum in hoc sancto prouinciali Concilio, cui, auctore Deo, præsidemus, vna cum venerabilibus patribus Dei gratia dominis. V. Bononiensi, H. Regiensi, M. Ceruensi, & P. Foropolienti episcopis, & fratre Hugolino electo Faentina, sanctæ Rauennatis ecclesiæ suffraganeis, & procuratoribus videlicet dominorum P. Parmensis, R. Forliuensis, I. Cæsenaensis, fratrum P. Comaclensis, I. Adriensis, & Ven. Saxenatis, episcoporum suffraganeorum absentium, quasdam constitutiones Conciliorum, Synodorum, Canonum, & decretalium epistolarum, & aliorum iurium antiquorum & antiquatorum, per obliuionem & negligentiam inobseruatorum, rememoratorias & executorias rediuiua repetitione edendas præuidimus, quas in subditis recensemus, & publicari mandamus: volentes & mandantes, quod sacri Canones, & sedis apostolicæ decretales, & legatorum eius constitutiones, & decreta sanctorum patrum, quantum possibile fuerit, ab omnibus subditis debeant efficaciter obseruari, & infra scriptæ constitutiones.

CAPITVLA.

RVBRICA I.

ANNO
CHRISTI
1311.

QUIA inter cetera, quæ pericula & discrimina afferunt & inducunt, est diuturna vacatio ecclesiarum cathedralium, cui volentes succurrere, quod statutum est fieri pro celeri ordinatione sanctæ Romanæ ecclesiæ, cum vacauerit, per constitutionem Gregorianam, Vbi periculum, statuimus, mandamus, & obseruari præcipimus pro celeri ordinatione Rauennatis ecclesiæ, vel alterius ecclesiæ cathedralis de prouincia, cum vacauerit, ita quod pro ordinatione ipsius Rauennatis ecclesiæ fiant orationes & processiones ad Dominum, & alia bona spiritualia a clero & populo vniuerso per totam Rauennatem prouinciam, donec ipsa electio fuerit celebrata: & in qualibet ciuitate & ecclesia cathedrali eiusdem prouinciæ, vacante a suis clero & populo pro celeri ordinatione eiusdem ecclesiæ cathedralis. Et idem fiat in ecclesiis conuentualibus vacantibus pro celeri & concordie electione ipsorum ab iis, qui sunt de conuentibus & capitulis ipsarum. Et vt hæc celerius adimpleantur, archidiaconus, præpositus & chorus ecclesiæ Rauennatis statim cum ecclesia ipsa vacauerit, procurent omnibus & singulis suffraganeis vacationem ipsam notificare: & capitula ecclesiarum cathedralium idem obseruent, & faciant in suis ciuitatibus & dicecesibus, cum suas ecclesias pastore contigerit vacare.

RV-

R V B R I C A II.

Quia, secundum Apostolum, qui bene præsumunt ^{1. Tim. 5.} presbyteri, duplici honore habendi sunt digni, in vita scilicet & in morte. Statuimus & firmamus, quod quando contigerit aliquem comprouincialium episcoporum, præsentium vel futurorum de hac luce, Deo vocante, migrare, induatur pontificalibus, & cum eisdem solennibus exequiis præcedentibus, cum solenni Missa pro defuncto sepeliatur, & quam citius fieri poterit, ceteris comprouincialibus episcopis ipsius obitus intimetur per capitulum ipsius ecclesiæ cathedralis, vt orent pro episcopo defuncto. Et quilibet coepiscoporum dici faciat triginta continuas Missas a die notificationis obitus ipsius vsque ad trigessimum diem; & refici qualibet die tres pauperes: & in qualibet ecclesia cathedrali & conuentuali vna Missa pro ipsius animæ expiatione celebretur solenniter.

R V B R I C A III.

Quia inter cetera remedia, quæ proficiunt ad expiationem animarum fidelium defunctorum, sunt orationes & elemosynæ: & illis maxime in his teneamur obnoxii, a quibus nos recognoscimus verbi & operis beneficia recepisse; in quorum numero prædecessores nostri merito possint adscribi, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod de cetero semel in anno, vigilia festi sanctæ Praxedis, quod est vigesimo Iulii, in tota

prouincia Rauennate per singulos coepiscopos & capitula ecclesiarum cathedralium fiat solenne anniuersarium pro defunctis coepiscopis totius prouinciæ; ad quod clerus & populus conuocetur; & die prædicta quilibet episcopus comprouincialium prædictorum duodecim pauperes ad minus refici faciat pro animarum expiatione celeri prædictorum. Si autem ipsa dies caderet in dominica, fiat præcedenti die, vel subsequenti feriata die, quam commodius poterit.

ANNO
CHRISTI
1311.

R V B R I C A I V.

Adiicimus insuper, quod de cetero semel in anno, scilicet quarta die Iunii, vel in proxima subsequenti feria, si festum incideret die illa, fiat solenne anniuersarium per coepiscopos in tota prouincia pro expiatione animarum fidelium defunctorum, patronorum & ecclesiarum benefactorum: ad quod, sicut dictum est de anniuersario episcoporum, clerus & populus conuocetur, & ipsa die pauperes reficiantur, vt etiam per hoc fideles ad beneficentiam prouocentur & animentur.

R V B R I C A V.

Statuimus quod si in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conuentualibus, & ceteris, extra altaria reliquiæ habeantur, de ipsarum veritate & certitudine, quorum sanctorum sint, per singulos comprouinciales episcopos, in singulis eorum ciuitatibus & diocesisibus cum diligentia exquiratur; quatenus de ipsis habita certitudine, deuote ve-

ANNO
CHRISTI
1511.

nerentur, & publicentur populis, & venerari mandentur. De quibus vero nulla certitudo possit haberi, in altaribus, vel alibi, sicut visum fuerit, recondantur, nec de cetero populis exponantur: & qui contra fecerit, ad arbitrium dioecesani episcopi puniatur.

R V B R I C A VI.

Cum sacramenta ecclesiastica debeant cum debita reuerentia & veneratione, & gratis tractari, suscipi & conferri, statuimus, quod omnia sacramenta ecclesiastica, quantum possibile fuerit, a ieiunis ministrentur, cum ornamentis necessariis, seu paramentis, & gratis; illud rememorantes attentius: *Quod gratis accepistis, gratis date.* Qui Matth. 10. contra fecerit; præter diuinam offensam, quam ex hoc contrahit, & incurrit, & pœnas a Canonibus constitutas, in subsequenti prouinciali Concilio acrius puniatur.

R V B R I C A VII.

Statuimus, quod eucharistia, viaticum, siue corpus Christi, chrisma, oleum sanctum, & oleum infirmorum, sic deuote, tute & secrete custodiantur, & reponantur in ecclesiis vel sacristiis, in locis ad hoc deputatis, & aptis, quod ad ea non possit manus nefaria accedere, seu sacrilega, & maxime mulierum: & quod eucharistia, seu viaticum, quod pro infirmis reseruatur, frequentius innouetur. Et qui in prædictis negligens fuerit vel remissus, præter indignationem Dei, quam ex contemptu sacramentorum eiusdem & suæ salu-

tis contrahit & incurrit, ab ordinario suo arctius
puniatur.

ANNO
CHRISTI
1344.

R V B R I C A V I I I .

1741. 52.

Cum non solum ministri ecclesiastici mundi esse debeant, sed utensilia pro diuino cultu munda & munde teneri & tractari, præmonente propheta: *Mundamini qui fertis vasa Domini*, statuimus quod corporalia, pallæ, tobaleæ, & cetera sacerdotum & altarium ornamenta, munda sint, & cum omni munditia conseruentur: & calices habeantur argentei, si commode fieri poterit, & ecclesiarum suppetant facultates: & sufficientes libri pro diuinis officiis, & paramenta: super quibus volumus & mandamus diligentem & solertem per diocesanos curam & sollicitudinem adhiberi, & terminum congruum non habentibus statuere ad habendum prædicta: & vbi in prædictis habendis ecclesiarum non sufficiant facultates, moneantur laici, & maxime parochiani, & solcite inducantur, vt componant & contribuant saltem pro dimidia in prædictis.

Cum inter cetera utensilia pro diuino ministerio sit campana utilis & necessaria, ad cuius sonum maxime fideles excitantur ad diuinum cultum, & dæmones propelluntur, statuimus quod de cetero campanæ quæ fient de nouo benedicantur ea solennitate quæ in pontificali inscribitur, in ecclesiis cathedralibus, ciuitatibus singulis, & collegiatis, & plebibus, & conuentualibus singulis diocesum.

R V B R I C A I X.

Statuimus quod quilibet episcopus in sua dice-
cesi informare debeat sacerdotes & ministros, no-
uos maxime, vel a scientibus expertis faciat infor-
mari in suis officiis & ministeriis, & ecclesiasticis sa-
cramentis, & ipsorum collatione seu dispensatio-
ne, scilicet in catechizando, baptizando, confi-
ciendo corpus & sanguinem Iesu Christi, & quæ
sunt confectionis verba, seu consecrationis, & con-
fitentes seu pœnitentes absoluendo, & formam &
modum absolutionis, & diuinis aliis.

Cum iuxta canonicas sanctiones vnicuique sa-
cerdoti, quantumcumque digno, vnam Missam
tantum in die sufficiat celebrare, & valde felix sit
qui digne celebrat vnam, districtius prohibemus
ne quis de cetero nisi vnam tantum in die celebret
Missam, nisi in casibus a iure permissis: & quod nul-
lus alienigena audeat prædicare, vel celebrare, vel in
sacro ordine ministrare, nisi fuerit prius præsentatus
ordinario, & eidem de ipsius ordinatione facta
fuerit plena fides.

Monemus omnes insuper & singulos sacerdo-
tes, parochiales maxime, quod quando omnibus
diebus dominicis celebrare debuerint, alba cocta
siue stola induti, aquam exorcizent, seu benedi-
cant cum sale: & aqua altare ecclesiarum, & popu-
lum, antequam celebrent, aspergant, cum anti-
phona, *Asperges me Domine*, vel alia quæ pro tem- Psalms. 50.
pore occurret, & psalmo vel versu, *Miserere mei
Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Eeeee iij

Monemus insuper omnes & singulos parochianos, cuiuscumque parochialis ecclesiæ, quod saltem in diebus dominicis audiant Missam integram in sua parochiali ecclesia, a qua prius non recedant, quam benedictionem post Missam receperint: & quicumque contra fecerit, tertio admonitus excommunicationis sententia percellatur.

RUBRICA X.

Statuimus insuper, quod festa sanctorum patronorum ecclesiarum cathedralium prouinciæ Rauennatis semper die in qua occurrunt denuntient celebrantes officia, & studeant celebrare, & clero & populo ciuitatis & diocesis eiusdem præcipiant celebrari in tota prouincia Rauennati, & quod de festo beati Apollinaris, & de omnibus sanctis præsulibus Rauennatibus per Columbam electis, fiant festa per totam prouinciam Rauennatem suis diebus. Et vt in hoc errare non possint, ipsa festa in suis kalendariis inscribi faciant, & apponant, & vt præmittitur, denuntientur.

Monemus omnes & singulos sacerdotes, parochiales maxime, vt omnibus diebus dominicis, quando debuerint Missas celebrare populis, lecto euangelio, & offertorio, vel cantato, festa celebranda, & ferianda iuxta consuetudinem, & ipsorum vigiliis ieiunandas, si qua scilicet habuerint, & certa ieiunia, si occurrerint, debeant nuntiare, vel indicare ipsas debere festari, ieiunari præcipere. Et vt in prædictis errare non possint, studeant festa omnia, vigiliis & ieiunia in scriptis habere, in-

ANNO
CHRISTI
1311.

fra duos menses a publicatione præsentium, in suis kalendariis, siue martyrologiis conscribere, seu conscribi facere, & qui in prædictis negligentes fuerint vel remissi, per suos episcopos acrius puniantur.

R V B R I C A X I.

Cum sacramentum baptismi omnium sacramentorum sit principium & fundamentum, & ideo propter summam necessitatem forma eiusdem, a Christo institutore tradita, a nullo fidelium maxime debeat ignorari, ipsam formam, quæ infra scriptis verbis complectitur, recensemus: Petre, vel Maria, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sub trina aspersione, vel immersione, nihil interposito, vel detracto. Quam siquidem formam, sacros Canones imitantes, mandamus & præcipimus de cetero ab omnibus baptizantibus irrefragabiliter obseruari: & ne de ipsius ignorantia quis valeat excusari, ter in anno, scilicet in die epiphaniæ Domini, vel eius octaua, in die resurrectionis, & in die pentecostes, per episcopos, per se vel alios, in ecclesiis cathedralibus, per archipresbyteros in baptismalibus, & per rectores in parochialibus, in Missarum solenniis vel prædicationibus publice & districtè præcipimus diuulgari.

R V B R I C A X I I.

Cum domum Dei deceat sanctitudo, dicente Domino: *Domus mea domus orationis vocabitur*, & *Marc. ii.* valde indignum sit, & deuotioni cultus contrarium, quod in ecclesiis fiant mercata, tractatus &

mercimonia laicorum, & ponantur in eis vasa, & alia, non deputata ad executionem, & obsequium diuinorum, statuimus, & arctius prohibemus, ne de cetero in ecclesiis fiant mercata, siue teneantur vasa, vel mercimonia laicorum, nec iudicialia tractentur temporalia, nec fiant in eis coadunationes, vicinæ, vel tractatus, seu publica parlamenta: nisi forte ex necessitate, tempore guerrarum, hæc fieri contigerit. Et qui contra fecerit, dicecesani arbitrio puniatur.

R V B R I C A X I I I.

Cum prædicandi officium priuilegiatum existat, ad cuius executionem exigitur industria personarum pollentium ætate, grauitate morum, vitæ sanctitate, scientia & sermone: & indifferenter alicubi admittantur, & recipiantur tales, ex quorum receptione scandalum & animarum periculum dicitur prouenisse, statuimus & districtius prohibemus, quod ad prædicationis ministerium, qui trigessimum, ad minus, non attingit annum, cuiuscumque religionis existat, de cetero in aliqua ecclesia nullatenus admittatur: nec etiam quæstuarii recipiantur ad id officium.

R V B R I C A X I V.

Statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod de cetero quolibet anno, tempore magis apto & loco, fiat capitulum prouinciale abbatum & priorum ordinis sancti Benedicti, non exemptorum, iuxta institutiones canonicas. Et si ex causa legitima non posset dictum capitulum prouinciale

ANNO
CHRISTI
1311.

cialē fieri, saltem singuli abbates, & priores, cuiuscumque diocēsis, pro reformatione conueniant certo tempore, loco, & die, sicut melius viderint expedire. Et hoc de prioribus, & præpositis canonicorum regularium mandamus in omnibus & per omnia obseruari.

R V B R I C A X V.

Monemus omnes & singulos sacerdotes, parochiales maxime, quatenus decretalem ex. de pœnitentiis, Omnis vtriusque sexus, in suis parochialibus ecclesiis, intra Missarum solennia suis parochianis studeant publicare, & exponere in vulgari, in aduentu Domini, & in quadragesima, ne aliquis de ipsius ignorantia se valeat excusare. Et qui negligens fuerit in præmissis, per suum episcopum arctius puniatur, dicendo quod peccant mortaliter non confitendo, & corpus Christi saltem in anno semel non suscipiendo: nisi de consilio sacerdotis abstinerint a communicatione, sacramento, & receptione corporis Iesu Christi.

Monemus omnes insuper medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos non vltius redire habeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit, quod ipsi infirmi prædicti medicum aduocauerint animarum, & eis fuerit de animarum salute prouisum. Et si quis medicorum huius monitionis contemptor extiterit & transgressor, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium ordinarii satisfecerit competenter.

RVBRICA XVI.

Cum indignum sit quod beneficia ecclesiastica pro diuinorum officiorum obsequiis deputata, conferantur illiteratis, ignotis, insufficientibus, & indignis, statuimus, & districtius prohibemus, ne parochialis ecclesia de cetero conferatur, seu detur, nisi tali, qui competenter sciat legere & cantare diuinum officium. Nec canonicatus conferatur alicui in ecclesia cathedrali, nisi tali, qui sciat legere & cantare, & competenter construere, & decimumquintum annum attigerit. Nec canonicatus, vel præbenda, & clericatus in ecclesia collegiata, vbi tres vel plures fuerint in congregatione, nisi sciat competenter legere & cantare, & duodecimum compleuerit annum: nec aliud rurale & simplex beneficium alicui prorsus illiterato, sed qui sciat aliquantulum legere: & si contra factum fuerit, sit irritum ipso iure.

ANNO
CHRISTI
1311.

RVBRICA XVII.

Monemus omnes abbates, priores, conuentus, & monachos ordinis sancti Benedicti, quatenus in responsoriis, & aliis diuinis officiis, se debeant de cetero conformare: cum honori ecclesiæ sit valde contrarium, & vt plurimum scandalosum, quod professi eiusdem religionis & ordinis sint dissoni vel ignari, maxime in diuinis officiis, iuxta canonica instituta.

RVBRICA XVIII.

Quum decreuerint Sancti Patres, Syno-

ANNO
CHRISTI
1511.

dos per singulas ciuitates fieri, pro reformatione status ecclesiarum, ecclesiasticarum & sæcularium personarum, quod est permaxime necessarium, vt pastores gregis dominici, de ipsius gregis pascuis euellant, & ædificent, & plantent in eis, hoc considerantes saluberrimum, & iuri non dissonum, quod in qualibet ciuitate, vel diœcesi, vbi diœcesanus commodius & vtilius viderit expedire, semel conuocet Synodum, & faciat annuatim, hoc præfenti Concilio prouinciali fieri declaramus, & cathedralicum soluatur.

RUBRICA XIX.

Monemus omnes & singulos, qui de cetero voluerint matrimonium contrahere, quod ante contractum matrimonii, siue ante sponsalia, per duas dominicas successiue faciant in ecclesiis ciuitatis, vel loci, vbi sponsalia fuerint celebranda, & in ecclesiis parochiarum, ad quas debuerint sponsæ traduci, proponi banna, siue edicta per sacerdotes parochiales eorundem, quod infra octo dies proxime subsequentes, si sit aliquis, qui sciat aliquod impedimentum legitimum inter eos, qui adinui- cem contrahere voluerint, illud opponat: & ipsi presbyteri nihilo minus inuestigent, vtrum aliquod impedimentum subsistat, iuxta formam Concilii generalis: & ipsi parochiales presbyteri ad requisitionem prædictorum hoc facere teneantur. Quod si omissum fuerit ex negligentia, vel malitia prædictorum contrahentium, vltra pœnas in prædicto Concilio declaratas, non recipiantur ad

benedictionem solennem sponsaliorum per dictos presbyteros, seu quoscumque alios, & vsque ad satisfactionem condignam a traductione & carnali commercio seu consortio sint suspensi. Et poena simili puniantur, qui contra interdictum ecclesiae nuptias duxerint celebrandas. Et vt tempora interdicta ad celebrandum nuptias non possint aliquando ex ignorantia excusare, monemus omnes sacerdotes, parochiales maxime, quatenus dicta tempora dominica ante aduentum, & dominica ante septuagesimam, & dominica ante octauam ascensionis Domini, studeant publice in Missarum solenniis nuntiare, quod nullus celebret nuptias temporibus ab ecclesia interdictis, scilicet a prima dominica de aduentu, vsque post epiphaniam: & a dominica de septuagesima, vsque ad octauam paschae: & a tribus diebus ante ascensionem, vsque ad octauam pentecostes.

RUBRICA XX.

Cum, secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, nisi tamquam Aaron a Deo fuerit vocatus, hoc minus considerant & attendunt, suae salutis obliti, qui se intrudunt ad dignitates ecclesiasticas, vel beneficia, & eligi & intrudi procurant per potentiam laicalem: volentes igitur talibus & similibus remediis quibus possumus obuiare, statuimus, & districtius prohibemus, ne quis talia de cetero praesumat attentare, vel attentari sustineat, vel procuret. Et si quis contra fecerit, non solum non confirmetur, nec institua-

ANNO
CHRISTI
MIII.

tur, sed omni spe promotionis in tota Rauennati prouincia per diocesana[m] similiter exuatur: & nihilo minus ipso facto sit excommunicatus, & omni priuilegio ecclesiasticæ protectionis ac defensionis exutus sit: a qua sententia non possit absolui, nisi per prouinciale Concilium, satisfactione plenaria prius præstita, de patris excessibus & commissis, & damnis illatis; & etiam sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

R V B R I C A X X I.

Cum, iuxta propheticum oraculum, melior sit obedientia, quam victimæ, & inobedientium culpa cognoscatur ex pœna inflicta talibus ex nouo & veteri testamento, hoc minus considerant honestatis ecclesiasticæ & famæ prodigi, qui prælatis suis in superbiam elati, Behemoth in sua malitia & superbia imitantes, contra prælatos suos se erigunt, & contumaciter & pertinaciter eisdem obedire recusant; &, quod est durius, ipsis detrahunt, & hostiliter eos impugnant: statuimus ergo & arctius prohibemus, ne quis clericus sæcularis, vel religiosus de cetero contra prælatum suum se debeat superbe erigere, sed in iis quæ Dei sunt maxime debeat humiliter obedire: & qui contra fecerit, & tertio monitus non destiterit, cum Dathan & Abiron, quos propter inobedientiam terra uiuos absorbit, partem consequantur & sortem: & nihilo minus, durante contumacia, postquam publice denunciatus fuerit ab omnibus, & in omnibus euitetur, & ab officio & beneficio, do-

nec resipuerit, & plenarie satisfecerit, & ad mandata prælatorum suorum redierit, sit suspensus.

ANNO
CHRISTI
M. CCC. LXXII.

RUBRICA XXII.

Cum, secundum canonicas sanctiones, vnusquisque in vocatione, qua vocatus se dignoscitur, debeat permanere, hoc minus considerant Sarrabatæ & apostatæ, ordinum mendicantium maxime, qui plerumque in suarum animarum periculum, religionum & obseruantiarum, & fidelium scandalum, de ipsis religionibus exeunt, & ad officia & beneficia ecclesiastica se ingerunt impudenter. Volentes igitur talium saluti succurrere, & salutari remedio prouidere, statuimus, & districte prohibemus, vt nulli apostatæ, & maxime mendicantium ordinum, de cetero admittantur, vel recipiantur, vel eligantur in ecclesiis sæcularibus, vel regularibus, seu ad diuinum officium, non obstante, seu eis alicuius excusationis patrocinium afferente, quod ab obseruantia suorum ordinum fuerint absoluti, vel datam eis licentiam quamcumque a prælatis eorum habuerint, ad religiones alias, vel obseruantias transeundi, vel beneficium curatum acceptandi, siue obtinendi. Et qui contra fecerint, ipso iure ab officio & beneficio sint suspensi; a qua suspensione non possint absolui, nisi in Concilio prouinciali prius satisfactione præstita, cum effectu ad metropolitani arbitrium: & talium receptio, siue ipsius facta promissio sit irrita ipso iure: & ab ipsis beneficiis, dignitatibus, personatibus, rectoriis, ministeriis ecclesiasticis, & congregationibus dicti

ANNO
CHRISTI
1521.

apostata prorsus abiiciantur & repellantur, & de
prædictis aliis personis prouideatur idoneis: nec
prædicti apostata, dum in apostasia permanerint,
aliquo priuilegio ecclesiasticæ immunitatis vel de-
fensionis gaudeant, sed eo sint exuti omnino, nec
per ecclesiam, vel viros ecclesiasticos in aliquo de-
fendantur, sed sicut membra putrida a corpore ec-
clesiasticæ vnitatis reiiciantur omnino, vt talibus
præsumptionibus tollatur temeritas de suis religio-
nibus seu ordinibus exeundi, & exeuntibus de-
tur materia ad professas regulares obseruantias red-
eundi. Idem intelligatur de aliis religiosis mona-
chis & canonicis ordinis sancti Augustini.

R V B R I C A XXIII.

Etsi Iudæi de misericordia, & ad testimonium
incredulitatis eorum, debeant ab ecclesia & fide-
libus in suis ritibus tolerari, quia tamen ex ipso-
rum conuersatione permixta multa mala scandala
prouenisse noscuntur, statuimus, & perpetua sta-
bilitate firmamus, quod Iudæi portent in pannis
superioribus certum signum, scilicet rotam panni
crocei coloris: & mulieres eorum in capite, vt sic
a Christianis possint discerni. Nec recipiantur ali-
cubi vltra mensem ad habitandum, nisi in locis in
quibus habuerint synagogas.

R V B R I C A XXIV.

Cum nemo debeat falcem in alterius messem
mittere, nec alicuius pastoris gregem, seu subditos
concitare, statuimus, & perpetua stabilitate firma-

mus, quod nullus episcopus in alterius diocesi aliquam iurisdictionem exercent, vel vtatur pontificalibus, nisi de licentia ordinarii loci. Item statuimus, quod nullus clericus sæcularis vel regularis admittatur ad ordines per aliquem episcopum de prouincia Rauennati sine licentia vel literis diocesani episcopi, vnde fuerit oriundus, vel domicilium, seu beneficia obtineat in eodem: nisi sit de ordinibus mendicantium, vel aliorum priuilegiatorum, de quibus constet.

Cum vnusquisque pastor cultum pecoris sui diligenter attendere debeat, & ipsum pro meritis pascuis arcere dominicis, & ad ipsa introducere, valde indignum est, iuri ecclesiæ & honestati contrarium, quod admittantur & recipiantur ad episcopalia exercenda ignoti & vagabundi episcopi, & maxime lingua & ritu dissoni, ex quorum ordinatione, sicut experientia docuit, proueniunt duo mala; quia promouentur incogniti, inhabiles & indigni, & etiam de ipsorum rita ordinatione dubitatur: vnde statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod nullus episcopus vagabundus, vel ignotus, ad exercenda pontificalia admittatur, nisi prius metropolitano constiterit de ipsius canonicis ordinatione, consecratione & titulo: & tunc etiam prædicta pontificalia exercere non possit, nisi de voluntate vel licentia diocesani episcopi, in cuius ciuitate vel diocesi voluerit talia exercere. Et si quis talis episcopum se prætendens facere contra præsumpserit, a pontificalibus & officio sit ipso iure suspensus, per hanc nostram constitutionem.

rius diœcesis a
l vtatur pon
oci. Item sta
ris vel regula
m episcopum
cia vel literis
ndus, vel do
odem: nisi sit
orum priuile-

pecoris sui di
ro meritis pa
roducere, val
nestati contra
ur ad episco
i episcopi, &
orum ordina
ueniunt duo
, inhabiles &
linatione du
stabilitate fir
bundus, vel
mittatur, ni
plius canoni
ulo: & tunc
non possit,
ni episcopi,
alia exercere.
dens facere
& officio sit
constitutio
nem.

ANNO
CHRISTI
1511.

nem. Et episcopus diœcesanus, in cuius diœcesi,
& iniuria, talia exercuerit, siue præsumperit, epi
scopum a prædictis possit facere denuntiari sus
pensum.

Et omnes comprouinciales episcopi tenean
tur eum facere denuntiari similiter ad petitionem
& requisitionem diœcesani prædicti, & ipsum pe
nitus euitare: & quoscumque ordinabit in ordi
natione sic præsumpta, nullus coepiscoporum re
cipiat eos in ordinibus sic susceptis, nec eisdem
ecclesias, præbendas, vel beneficia ecclesiastica
conferant, sed executione sic susceptorum ordi
num careant, donec per eum, qui de iure pote
rit, cum eis fuerit dispensatum.

RUBRICA XXV.

Item cum hospitalium bona consumantur, de
uastentur & occupentur, etiam per laicos, & sæ
pe sine aliquo titulo vsurpata detineantur, & eo
rum redditus in pauperes non conuertantur, ad
quod deputata sunt; statuimus quod hospitalia
alicui non concedantur, nec alicui instituantur in
eis, nec ea qui habent valeant detinere, nisi sint
religiosi, & sine vxore, & tales, quod profitean
tur perpetuo ibidem pauperibus deseruire, & ton
suram & hospitalitatem teneant, & residentiam fa
ciant eisdem. Et qui contra fecerit, reddatur in
habilis ad ordines suscipiendos, & beneficia quæ
cumque ecclesiastica obtinenda, & ea amittat.
Et qui hodie detinent, nisi infra tres menses post
publicationem præsentis constitutionis resederint,

& habitum receperint ordinatum, vel ordinandum, exnunc auctoritate præsentis Concilii & constitutionis priuamus eosdem, & ipso iure intelligantur esse priuati a beneficio prædictorum.

ANNO
CHRISTI
1341.

RUBRICA XXVI.

Psal. 104.

Luc. 10.

Rex omnipotens, cuius imperio subiacent vniuersa, decreuit, & docuit, episcopali præditos dignitate, & ceteros eidem in ecclesiasticis ordinibus militantes, ab omnibus honorari, & iniuriose per neminem nunquam lædi, dum asserit per Prophetam: *Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari:* & alibi ipse idem: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui vos recipit, me recipit:* episcopi enim apostolorum typum tenent, & presbyteri septuagintaduorum discipulorum locum in ecclesia militante: quod quidem plerique minime attendentes, non solum ad improperia, sed ad vinculationes, trucidationes, contra illos insurgunt, & ad vulnera inferenda, non sine magna contumelia Creatoris, & propter transgressores huiusmodi, volentes poenas præfixas a Canonibus augmentare, vt poenarum multiplicium timore ad talia prorumpere pertimescant, præsentis Concilio approbante, statuimus, & sancimus, quod quælibet persona, cuiuscumque dignitatis vel status extiterit, quæ intra nostram Rauennatem provinciam in aliquem archipræsulem siue episcopum per se, vel per alium, seu alios vsque ad sanguinis effusionem, vel alias cum gladio vel fuste manus iniecerit temere violentas, aut ceperit, seu capi fecerit,

, vel ordinan-
tis Concilii &
ipso iure intel-
dictorum.

VI.

o subiacent v-
opali prædicos
sasticis ordini-
ari, & iniuriose
fferit per Pro-
in prophetis
Qui vos audit,
qui vos mi-
orū typum te-
um discipulo-
d quidem ple-
ad imprope-
es, contra illos
non sine ma-
r transgresso-
tas a Canoni-
cium timore
æfenti Con-
imus, quod
itatis vel sta-
nnatem pro-
e episcopum
anguinis ef-
manus inie-
capi fecerit,

ANNO
CHRISTI
MIII.

vel captum detineri iusserit, siue expresse consen-
serit, non solum incurrat excommunicationis la-
queum ipso iure, sed in obitum ad aliorum me-
tum careat ecclesiastica sepultura, & eius familia-
res, siue familia, qui habitauerint cum eodem, quo-
usque plene satisfecerint, non recipiantur in pœnā
illius ad diuina, & ecclesiastico subiaceant interdi-
cto: & ipsum transgressorem eiusque filios & ne-
potes decernimus inhabiles ad ecclesiasticum ho-
norem & beneficium ecclesiasticum obtinendum:
exnunc priuantes eosdem omni iure patronatus,
feudis, priuilegiis, beneficiis ecclesiasticis, & hono-
re. Electiones, prouisiones & collationes factas in
tales irritas decernentes: electores, præsentato-
res & prouisofores alicuius ex prædictis eligendi,
prouidendi & conferendi potestate exnunc illa vi-
ce priuamus: vniuersitatem siue communitatem,
infra cuius iurisdictionem aliquid ex iis contigerit
perpetrari, quæ expresse consenserit, vt prædicto-
rum excessuum aliquis committatur, vel quæ non
punierit legitime præmissorum aliquod perpetrante,
infra mensem, postquam eius maioribus seu
rectori vel maiori parti eiusdem innotuerit, seu al-
ias fuerit manifestum, aut etiam nuntiatum, ex-
tante possibilitate, exnunc ecclesiastico, & eius
terram & locum supponimus interdicto: recto-
res, officiales & consiliarios eiusdem excommuni-
cationis vinculo innodamus. Illum autem qui præ-
latum inferiorem, videlicet abbatem vel clericum
alium in dignitate, vel personatu in aliqua cathe-
drali ecclesia constitutum, clericaliter viuentem,

& se enormitatibus, & sæcularibus, & negotiationibus publice minime immiscentem, vbi non permittitur sibi a iure, per se vel per alium interfece- rit, vel mutilauerit, seu alias inhabilem vel deformem reddiderit ad Missarum solennia, vel diuina officia celebranda, vel carceratum detinuerit, per diocæsanum, vel eius vicarium super relaxatione ipsius requisitus, si beneficiatus extiterit, exnunc omni beneficio priuamus perpetuo, & ipsum inhabilem reddimus ad aliud obtinendum: si vero laicus fuerit, priuamus in obitu ecclesiastica sepultura, & ipsum, eiusque filios & nepotes, non posse ad ecclesiasticum beneficium eligi vel assumi: & electores & prouiso- res alicuius talium personarum exnunc suspendimus a diuinis; electiones, prouisiones & postulationes factas de talibus irritas decernentes. Illos autem qui clericum inferiorem alium in quauis dignitate vel sacro ordine constitutum, clericaliter tamen viuentem, & se enormitatibus publice non immiscentem, occiderint, mutilauerint, vel reddiderint inhabilem vel deformem ad diuinum officium celebrandum, si clerici fuerint, omnibus beneficiis ecclesiasticis priuamus perpetuo, & inhabiles reddimus ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda: si fuerint laici, eos & eorum filios, inhabiles ad ecclesiasticum honorem & beneficium iudicamus, & in obitu priuamus ecclesiastica sepultura.

Plerumque contingit, quod tyrannica rabie, seu populi sæuitia, vel partialitate vigente, alicubi faciente, antistes proprius a sede sua repellitur, & in

ANNO
CHRISTI
1321.

ciuitate seu diœcesi propria residere prohibitus, cogitur exulare: quandoque vero bonis & rebus propriis dignitatis spoliatus mendicare compellitur, in opprobrium non solum pontificalis dignitatis, sed totius clericalis ordinis: quocirca compatiens huiusmodi sic eiectis, & etiam spoliatis, & eiectionibus, & spoliationibus, & sceleribus occurrere, in quantum possumus, cupientes, statuimus & firmamus, nostro Concilio prouinciali approbante, quod si aliqua ciuitas, vniuersitas, siue communitas consenserit expresse, vel ipsius maior pars siue rector aut dominus temporalis eiusdem, vel mandauerit antistitem proprium a propria sede vel ciuitate repelli, aut eundem in illa reside- re formidantem, propter minas vel timorem, aut potentiam alicuius domini temporalis, vel aliquorum tunc gubernantium terram ipsam, exulare permiserit extra illam, & infra duos menses eundem non reuocauerit, & sibi plene prouiderit, quod in ciuitate ipsa, vel saltem in diœcesi, in loco idoneo & securo valeat residere, & libere iurisdic- tione & officio suo fungi, postquam ei notum fuerit hoc, aut etiam intimatum, vel ipsi antistiti non fecerit de ipsius dignitatis iuribus & redditibus responderi, exnunc vniuersitatem eandem, eius- que terram & locum, ecclesiastico subiaccere de- cernimus interdicto. Consiliarios vero, creden- darios, & præsidentes ipsi ciuitati, & potentes, quo- rum factò vel consilio seu studio prædicta fuerint attentata, vel alias procurata, ipsorumque filios & nepotes, exnunc inhabiles decernimus ad be-

Ggggg iij

beneficia ecclesiastica obtinenda: ipsum quoque præfulem exulantem decernimus honorifice debere recipi, & adiuuari in qualibet ciuitate & dioecesi prouinciæ Rauennatis ad residendum, nisi iusta euidens causa notoria subsit, vbi voluerit residere, exulatione huiusmodi perdurante, ipsum quoque iurisdictione sua inter subditos suos, & ipsius bonis ac iuribus inibi libere posse vti: ciuitatem vero & terram eandem ad habitandum in ipsa vel dioecesi recipere contemnentem, & eius vniuersitatem exnunc ecclesiastico interdicto decernimus subiacere, quam cito idem episcopus publice dixerit ex hoc sibi & ecclesiæ Dei iniuriam irrogari: nisi locus ille ex aliqua causa rationabili & manifesta ab eius receptione valeat excusari: illos vero, qui conspirationem, seu colligationem, vel coniuurationem, seu ligam, vel confœderationem, aut tractatum fecerint, vel fieri procurauerint, vt proprius antistes, siue alius prælatus inferior, non permittatur, seu non possit in sede propria vel dioecesi residere, aut libere officio suo vti, siue quod illi vel eius officialibus de suis bonis & redditibus non respondeatur, vel contra status eius pacifici subuersionem, aut honoris debiti & soliti diminutionem, exnunc excommunicationis vinculo innodamus, & beneficiis ecclesiasticis, si clerici fuerint, priuamus perpetuo, aliis libere conferendis: si vero extiterint laici, excommunicationis laqueum ipso facto incurrant: & ipsos ipsorumque filios & nepotes inhabiles iudicamus ad ecclesiastica beneficia obtinenda: & promotores talium persona-

ANNO
CHRISTI
1311.

ANNO CHRISTI 1311. rum ad illa, suspendimus a diuinis, ac priuamus potestate eligendi & prouidendi etiam illa vice: nec non omni feudo ecclesiastico, iure patronatus, & honore priuamus perpetuo. Prædictas quoque pœnas illos etiam incurrere decernimus ipso facto, qui inhibuerint, vel mandauerint, seu expresse consenserint, vel tacite, ubi ad eos violentias pertinuerit prohibere, quod ipsi pontifici vel prælato alicui; nisi hoc sibi concedatur legitime, ab homine, vel a iure, de suis bonis, vel redditibus non respondeatur per eos, ad quos pertinet respondere: vel impedierint ne aliquis antistes per se vel per alium iurisdictionem suam possit libere exercere, aut procurare plenarie iura sua. His tamen pœnis episcopos, eorumque officiales, & delegatos iudices sedis apostolicæ, vel eius auctoritate, decernimus minime comprehendi, circa hæc iurisdictione sua fungentes. Personas vero, quæ aliquem pontificem, vel prælatum, vel aliquam aliam ecclesiasticam personam, aliquo castro, villa, vel vico, seu eius iurisdictione, vel possessione eiusdem, aut aliquo prædio, seu domo spoliauerint temeritate propria, exnunc vinculo excommunicationis innodamus: ipsasque & earum filios & nepotes reddimus inhabiles ad ecclesiastica beneficia obtinenda: & electores ac prouisores talium personarum suspendimus a diuinis: in præmissis enim & ea contingentibus decernimus posse procedi ad ipsorum cognitionem & executionem de plano & absque strepitu iudicii & figura.

Si quisque catholicus iubetur patienti necessi-

tatem aperire viscera caritatis, quamquam alienigenæ, vel ignoto; quanto fortius coepiscopi super coepiscopum manifeste indigentem, ceterique inferiores prælati & clerici, super eum tenentur ad subuentionem eius dexteram aperire, & erga illum coantistites caritatem fraternam, & inferiores caritatiuam deuotionem gerere? Idcirco ad ipsius caritatis fraternæ & deuotionis caritatiuæ vinculum conseruandum, & cleri opprobrium propellendum, salubriter prouidemus, & statuimus, nostro prouinciali Concilio approbante, quod si contigerit aliquem præfulem prouinciæ Rauennatis tyrannica peste, vel sæuitia populi, absque ipsius culpa euidenti & notoria, extra sedem propriam, vel ciuitatem & diœcesim exulare, & illi de redditibus & iuribus suæ dignitatis & ecclesiæ minime responderi, vel non de maiori parte reddituum eorumdem, omnes coepiscopi, cum suo clero, teneantur ad subuentionem illi faciendam, modo videlicet infra scripto, de communi collecta personarum ecclesiasticarum, suffraganeorum, & clericorum prouinciæ prælibatæ: videlicet, quod metropolitanus, vel duo ex coepiscopis, quos exulans ad hoc assumpserit, in vnum sine difficultate conueniant, & ipse coram eis, notariis præsentibus, & testibus fide dignis, iuret ad sancta Dei euangelia coram se exposita, sed non tacta, quod ei subtrahitur maior pars illorum reddituum quos percipere consuevit, siue quod de illis non permittitur responderi, sacramento suo valorem æstimens subtractorum: quibus in scripturis redactis,

per

ANNO
CHRISTI
1511.

per ipsos duos coepiscopos, auctoritate præsentis Concilii, singulis annis, quibus ille sic exulauerit, & manserit spoliatus, pro subuentione ipsius exulantis, auctoritate præsentis Concilii, collectam communem imponat, pro rata, tam sibi ipsis, quam ceteris suffraganeis, archipræsuli, illorumque cleris, & ecclesiis, & clero ipsius exulantis, vsque ad dimidiam partem valoris reddituum prædictorum, diuidentes eandem secundum solutionem solitam procurationum cardinalium legatorum: & exigentes infra duos menses, postquam per illum sæpe fuerint requisiti, cum iustis & moderatis expensis, & exactam sine difficultate consignent pontifici exulanti. Quoslibet vero pontifices in his difficiles pœna debita puniemus: alios vero inferiores prælatos & clericos excommunicationis vinculo innodamus, qui in solutione portionis supra dictarum collectarum eis vel clericis suis impostæ, aut etiam imponendæ, negligentes fuerint vel rebelles, aut alias se difficiles exhibuerint in præmissis: quos per totam nostram prouinciam, vsque ad integram satisfactionem, in virtute districtæ obedientiæ, excommunicatos assidue per ecclesias publice, ex causâ prædictâ, præcipimus nuntiari. Capitula etiam, & conuentus, quæ in iis difficultatem vel malitiam adhibuerint, ecclesiastico supponimus interdicto. Sustinentes vero excommunicationem eandem vltra sex menses postquam excommunicati fuerint, propter hoc publice nuntiati, beneficiis ecclesiasticis censemus posse priuari.

Concil, Tom. 28.

Hhhhh

Statuimus insuper, & firmamus, quod aliqui clerici, vel laici nostræ prouinciæ, ad ciuitatem, seu terram non debeant personaliter accedere in fauorem interdictorum, quamdiu supposita fuerint interdicto, & sustinuerint interdictum, propter sui pontificis exulationem, vel bonorum eius omnium, seu maioris partis spoliationem, vel usurpationem: & quod aliquem, seu aliquos de ciuitate sic interdicta non recipiant in domos proprias, siue loca, nisi forte pro commodo proprio eos recipiant. Delinquentes vero in aliquo præmissorum, postquam per diocesenum proprium, vel eius auctoritate facta fuerit publicatio, & generalis admonitio super iis, ad participationem diuinorum, vel ad ingressum ecclesiæ nullatenus admittantur: & sæpissime sic interdicti, postquam moniti fuerint, per ecclesias publice nuntientur. Et ad instantiam ipsius exulantis quilibet antistes personas illas, de quibus exulanti videbitur, admo-
neat nominatim, quod illi ciuitati interdictæ, vel alicui ex eius ciuibus, non præstent consilium, auxilium, vel fauorem, vel participant cum eisdem. Quod si contra fecerint, exnunc innodamus eos excommunicationis vinculo in his scriptis, & tamquam excommunicatos ex causa prædicta præcipimus per ecclesias publice nuntiari, exulante huiusmodi requirente. Huic etiam adiicimus, quod si propter partialitatis rabiem, siue pestem tyrannicam, prælatum inferiorem alicuius ecclesiæ, vel canonicum ecclesiæ cathedralis, seu alterius collegiæ sæcularis, exulare contigerit, sua culpa ma-

ANNO
CHRISTI
1393.

nifesta & notoria hoc minime faciente, aut aucto-
ritate iudicis competentis, quod capitulum &
conuentus eiusdem sæcularis fructus & reditus
dignitatis ipsius, vel præbendæ exigere teneatur,
& ipsi prælato, aut canonico sic exulanti duas par-
tes eorundem redituum, quos ex ipsa licite per-
cipere consuevit, si reditus ipsos capitulum ip-
sum perceperit, vel maior pars eius, vel percipere
poterit, sine difficultate assignent & exhibeant
exulanti singulis annis, quibus ipsum sic contige-
rit exulare. Capitula vero & conuentus, quæ in
iis, iusto & manifesto impedimento cessante, dif-
ficultatem vel malitiam adhibuerint, ecclesiastico
supponimus interdicto: & nihilo minus ipsos con-
ueniri & teneri decernimus ad solutionem huius-
modi faciendam. Regularibus vero prælatis, pro-
uideatur de illis, iuxta diocæsani proprii iussio-
nem huiusmodi: in præmissis namque, & ipso-
rum cognitione, & exactione, & eorum occasio-
ne, procedi posse sancimus sine strepitu, & ordine
iudicii, & figura.

Effrenata cupiditas suis terminis non contenta,
adeo quorundam oculos excæcauit, quod non so-
lum ad bona profana rapienda & occupanda, sed
etiam ecclesiastica, manus extendere non formi-
dant, quæ sunt ministrorum ecclesiarum & pau-
perum Christi vsibus deputata.

Quapropter volentes eius appetitus noxios re-
frenare, præsentis approbante Concilio, statuimus
tam prouide quam consulte, quod qui de cete-
ro ecclesiam aliquam, vel aliquem pium locum, in-

uaserit, vel occupauerit, seu occupatum detinuerit, vel aliquod prædium rusticum vel vrbicum, seu quæuis bona ecclesiastica, siue iura perpetua ad aliquem locum venerabilem pertinentia, vel ecclesiam aliquam seu pium locum spoliauerit, vel spoliatum detinuerit, aliquibus bonis immobilibus, siue iuribus perpetuis, aut iurisdictione, districtu, vel honore alicuius castri, terræ, vel loci, seu communitatis, vel possessionis decimas colligendi, leuandi pedagia, seu eligendi, vel ecclesiæ prouidendi, aut census annuos percipiendi, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Et si admonitus non destiterit, & integre non satisfecerit sine difficultate, exnunc tam ipsum, quam eius filios, & descendentes, vsque ad quartam generationem, omnibus feudis, honoribus & beneficiis ecclesiasticis priuamus perpetuo, & inhabiles reddimus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum; statuentes electiones, prouisiones, collationes, præsentationes, & quasuis postulationes, quas attentare contigerit, ad ecclesiasticum beneficium, de aliquo præmissorum, irritas & inanes; & eligentes, postulantes, & prouidentes, seu conferentes, potestate eligendi, prouidendi, conferendi, & postulandi decernimus illa vice fore priuatos, ad superiorem proximum deuolendum. Clericos vero qui alienum beneficium, seu dignitatem, vel ecclesiam occupauerint, vel detinuerint absque auctoritate iudicis competentis, seu quemquam spoliauerint eius beneficio, vel præbenda, superioris legitimi iudicis non inter-

ANNO
CHRISTE
1511.

ueniente licentia, vel mandato, vel possessionem maioris partis bonorum eiusdem, exnunc excommunicationis vinculo innodamus, & omnibus beneficiis, quæ intra nostram prouinciam obtinuerint, priuamus perpetuo, aliis libere conferendis: & si admoniti non destiterint, inhabiles iudicamus ad aliqua beneficia ecclesiastica obtinenda, & gaudendum immunitate ecclesiastica, vel priuilegio clericali: vniuersitatem autem interdicti, & maiores de ipsa vniuersitate excommunicationis sententias incurrere volumus ipso facto, si requisita ipsa vniuersitas, vel ipsius rector, siue rectores, vel iurati, postquam eis de ipsa violentia, occupatione seu spoliatione vel vsurpatione manifestum extiterit, non compulerint sine difficultate, aut compellere neglexerint huiusmodi occupatorem, inuasorem, spoliatorem vel vsurpatorem, ad rem occupatam, inuasam, vel spoliatam & vsurpatam, siue vt iurisdictio, siue quidquam ius aliud libere dimittendam ipsi ecclesiæ, per eam pacifice possidendam. Si vero vniuersitas ipsa, aut communitas, siue maiores de ipsa vniuersitate, vel eius rector, aut dominus temporalis, huiusmodi occupationem seu inuasionem, vsurpationem vel spoliationem fecerint de aliquo præmissorum, consiliarios & maiores eiusdem, ac rectorem seu rectores, in iis scriptis excommunicationis vinculo innodamus, & ipsam vniuersitatem, & singulos de ipsa vniuersitate, ecclesiastico supponimus interdicto: mandantes ipsas sententias per totam nostram prouinciam sæpissime publicari: & illos

excommunicatos & interdictos publice nuntiari. Et si prædictas sententias excommunicationis & interdicti, ipsa vniuersitas, consilarii, & maiores eiusdem ultra sex menses sustinuerint, post denuntiationem publice factam, exnunc ipsos consiliarios, & maiores, & eos, per quos terra ipsa regitur, ipsorumque filios & nepotes inhabiles reddimus ad honores ecclesiasticos, & beneficia obtinenda: ipsosque feudis ecclesiasticis priuamus perpetuo: & in obitu prohibemus aliquem clericum & presbyterum sepulturæ talium interesse; nisi primo integre satisfecerit ecclesiæ taliter spoliatae vel læsæ de damnis, interesse, & iniuriis, & de omni quod perceperint occupationis vel spoliationis, aut vsurpationis huiusmodi ratione. Et ad præmissorum cognitionem & executionem statuimus posse procedi sine figura & ordine iudicii per quemlibet iudicem competentem. Quæ omnia similiter obtinere volumus, & statuimus contra illas personas quæ ab vno anno citra inuasērunt & occupauerunt ecclesiastica iura prouinciæ Rauennatis, & hodie detinent inuasa & occupata.

RUBRICA XXVII.

^{1. Pet. 5.} Cum præcipiat apostolus, *Benedicentes nolite maledicere*, minus hoc considerant & attendunt, qui in Deum, beatam Virginem, & sanctos eius, in blasphemiam ora impudica exoluunt; statuimus igitur ad prædictorum impudentiam compescendam, quod quicumque hoc præsumperit, de cetero ultra pœnam & pœnitentiam quæ talibus

ANNO
CHRISTI
1311.

est per Canones imponenda, a liminibus ecclesiæ arceatur per mensem: & si pluries correctus se non emendauerit, in morte denegetur sibi ecclesiastica sepultura, vt, iuxta propheticum oraculum, cum benedicientibus Deum consortium non habeat in eadem.

RUBRICA XXVIII.

Cum proprii pastoris siue iudicis sententia sit timenda, hoc minus considerant & attendunt qui excommunicationis sententiam maxime contemnentes in sua obstinata & pertinaci contumacia indurescunt, nec curant satisfactione præstita in commissis absolutionis beneficium impetrare; volentes talium cancerato morbo succurrere medicamine salutari, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod quicumque de cetero excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, sententiam animo sustinuerit per annum indurato, etsi in morte beneficium absolutionis satisfactione præstita meruerit obtinere, nihilo minus tamen in pœnam contumaciæ ecclesiastica careat sepultura; salua illorum pœna qui pro hæresi vel ipsius suspicione arctius percelluntur, iuxta canonicas sanctiones. Etiam propter hoc in pœnam centum solidorum, denar. monetæ ipsius ciuitatis, cuius larem fouent, incurrant ipso facto.

RUBRICA XXIX.

Cum de matrimonio loquens dicat Apostolus, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, Ephes. 5.*

& adhærebit uxori suæ, hoc minus recogitant & attendunt, qui propria temeritate, repulsis vxoribus, vel, quod est scelestius, ipsis retentis, superinducunt adulteras, & cum eisdem habitant impudice in Domini institutoris matrimonii offensam, animarum suarum periculum, & fidelium scandalum, & maxime vicinorum: ad quorum impudicam contumaciam radicitus extirpandam, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod nisi tales moniti seorsum per proprium sacerdotem, resipuerint cum effectu, repulsis prorsus adulteris, ad denuntiationem sacerdotis, vel parochialis prædicti, diœcesanus teneatur ex officio procedere contra eos per censuram ecclesiasticam, vsque ad excommunicationis sententiam: quam si sustinerint per mensem animo indurato, adulteris non repulsis, etsi in morte de prædictis satisfecerint cum effectu, nihilo minus tamen in ipsorum contemptum & pœnam ecclesiastica careant sepultura. Per hoc tamen non intelligatur eis permissum, quod tenere possint focarias, etiam solutas; illud rememorantes quod scriptum est: *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*: sed contra tales ad arbitrium ordinarii procedatur.

Heb. 13.

RUBRICA XXX.

Psal. 40.

Luc. 11.

Cum, iuxta Prophetam, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, & Dominus dicat in euangelio, *Date eleemosynam, & omnia munda erunt, & bona ecclesiarum sint pauperum*, statuimus quod de cetero, & prout sæpius & melius poterit, fiant

ANNO
 CHRISTI
 1311.

fiant, iuxta possibilitatem, eleemosynæ genera-
 les per episcopos & capitula cathedralium eccle-
 siarum: & abbates seu conuentus monasteriorum
 habentium sufficientes redditus ad ea. Et quilibet
 etiam episcopus secundum suum beneplacitum &
 possibilitatem quotidie in prandium reficiat ali-
 quos pauperes. Et vt pauperibus verecundis va-
 leat prouideri, in quolibet quarterio vel sexterio
 cuiuslibet ciuitatis, & aliis insignibus locis nostræ
 prouinciæ, quolibet anno eligantur quatuor vel
 sex, sicut videbitur episcopis esse sufficiens, catho-
 lici & deuoti & honorabiles yri, qui quæstam re-
 quirant pro eleemosyna huiusmodi pauperibus fa-
 cienda; & diuidant, prout discretioni eorum vi-
 debitur expedire. Et quicumque laborauerit vel
 dederit eleemosynam secundum sui possibilita-
 tem, pro hoc ei indulgentia quadraginta dierum
 conceditur per hoc Concilium illa die; si vere fue-
 rit pœnitens & confessus.

Cum Dominus, tamquam preciosus in vltimis
 discipulis suis dixerit: *Pacem meam do vobis, pacem
 relinquo vobis*, & ex guerris amissio & perditio a-
 nimarum & corporum, & consumptio bonorum,
 ac odia, scandala & crimina innumerabilia orian-
 tur, statuimus quod, quotiescumque inter aliquas
 ciuitates prouinciæ Rauennatis verisimile videat-
 ur discordiam oriri, duo de prouincia episcopi
 cum ordinario conueniant, quos ordinarius duxe-
 rit requirendos, in loco & vbi tutius & commo-
 dius ad tractandum conuenire possint, de compo-
 sitione, si commode fieri possit. Et si eis per octo

dies ad plus laborantibus, non videretur quod possent proficere, significetur coepiscopis per prouinciam, quod donec discordia huiusmodi durabit, dicatur collecta pro pace: & quicumque pro eis laboraret & oraret, si foret vere poenitens & confessus, quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis relaxentur praesentis Concilii auctoritate.

ANNO
CHRISTI
1311.

RUBRICA XXXI.

Quoniam deficientium voluntates pro legibus sunt obseruandae, & executores testamentorum vltimas deficientium voluntates exequi negligunt, in graue animarum ipsarum periculum, statuimus quod notarii, qui testamentum, seu quamlibet vltimam voluntatem vel schedulam ad piam causam scripserint, eam infra mensem episcopo ordinario, vel eius vicario praesentent, & assignent, & tradant; alioquin sententiam excommunicationis incurrant: ita quod de cetero fides instrumentis per eum confectis non adhibeatur. Et executores post legitimum tempus, hoc est annum, nisi fuerint executi, vltius se non possint intromittere, sed episcopi ordinarii ea exequantur: & nihilo minus tales de cetero sint inhabiles ad executiones alias suscipiendas, vt in eo quod deliquerunt puniantur.

RUBRICA XXXII.

Item cum indebitae exactiones a notariis & figilliferis dominorum episcoporum taxentur & moderentur in omnibus, praesertim in ordinatio-

ANNO
CHRISTI
1511.

nibus, vt vltra duos Venetos non possint accipere pro scriptura, charta, schedula, cera & sigillo, nec aliis quam in ipsis habent facere; nec grauent vltra in aliis actis, videlicet citationibus & edictis, monitionibus, & aliis scripturis, sed cum taxatione & moderatione dominorum episcoporum restringantur & taxentur. Et si querela super hoc remedium præbuerit, ipse notarius officialis suspendatur in dicta curia episcopali, vsque ad aliud Concilium prouinciale ab officio suo.

Leetæ & publicatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones, statuta & ordinamenta in choro maioris ecclesiæ Rauennatis, & ordinatæ & firmatæ in Concilio prouinciali memorato, præsentibus Dei gratia dominis Huberto Bononiensi, H. Regino, M. Ceruensi, & P. Foropopiliensi, & fratre venerabili electo Fauentino, & præsentibus procuratoribus, videlicet dominorum P. Parmensis, R. Forliuensis L. Casenatenensis, fratrum, P. Comaclensis, I. Adriensis, & V. Saxenatenensis, episcoporum suffraganeorum, absentium, & c. R. archidiacono, & Ioanne Andrea præposito, Nicolao presbytero cardinale, & Guidone Boninsega, Thomasio Cambio, & Benedicto, cantoribus ecclesiæ Rauennatis, præsentibus pluribus abbatibus, & aliis testibus, ad hæc contuocatis: anno Domini millesimo tercentesimo vndecimo, indictione nona, die Lunæ vigesimo primo mensis Iunii.

Leetæ & publicatæ & pronuntiatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones, statuta & ordinamenta in episcopali palatio Mutinensi per venerabilem patrem Bonadanum, Dei gratia episcopum Mutinensem, in plena Synodo cleri ciuitatis Mutinensis, in præsentia venerandorum & reuerendorum virorum dominorum Iacobi abbatis monasterii sancti Petri, Bonincontri archipresbyteri ecclesiæ Mutinensis, Barnabei & Iacobi canonicorum dictæ Mutinensis ecclesiæ, Iacobi prioris sanctæ Trinitatis, Simonis prioris de Gena, fratris Benedicti prioris sanctæ Ca-

tharinæ, Lanfranci archidiaconi de Saliceto, Jacobi presbyteri ecclesiæ sancti Barnabei, presbyteri Ioannis ecclesiæ sanctæ Agathæ, presbyteri Ritii ecclesiæ sancti Michaelis, presbyteri Ioannis ecclesiæ sancti Marci, presbyteri Bartholomæi ecclesiæ sancti Georgii, & ceterorum capellanorum ciuitatis Mutinæ, & Burgorum, & aliorum prælatorum, presbyterorum, & clericorum ecclesiarum ciuitatis & diocesis Mutinæ, & præsentibus testibus vocatis & rogatis domino presbytero Rodulpho beneficiato in ecclesiâ Mutinensi, Petro de Florano & Geminiano mansionariis ecclesiæ Mutinensis prædictæ, Gerardo de Boschettis, Guilielmo de Polixina, Lanfranco de Petrazanis, & aliis, in millesimo tercentesimo vndecimo, indictione nona, die Veneris decimo, intrante mense Septembris.

ANNO
CHRISTI
1311.

SEDES VACANS.

ANNO
CHRISTI
1314.

CONCILIVM RAVENNATE III.

EADEM DE CAUSA CELEBRATVM ANNO DOMINI
MCCCXIV. post obitum Clementis papæ V. tempore
interregni pontificii.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|---|
| I. Quod constituti in sacris tantum habeant vocem in capitulo. | pæna non obedientium superioribus suis. |
| II. De ætate & qualitate ordinandorum. | VII. De instrumentis conficiendis, & non retinendis per aduocatos, notarios, seu procuratores. |
| III. De non consecrandis in episcopos peregrinis & ignotis, & quod aliquis suffraganeus non vadat extra prouinciam pro consecratione faciendâ. | VIII. De præscriptionibus, & quod nullus prætextu alicuius temporis, possit se defendere, quin visitetur. |
| IV. De peregrinis & ignotis episcopis non admittendis. | IX. De appellationibus & pæna non prosequentium appellationem ab excommunicatione interpositam. |
| V. De delegatis, vel legatis, ut faciant fidem suæ legationis. | X. De vita & honestate clericorum, ac ornatu eorum. |
| VI. De maioriæ & obedientia, ac honorificentia prælatorum, & | XI. Quod nullus accedat ad mo- |